

enim aliquis omittet constructionem serræ, vel gladii ex eo, quod rubiginem contrahat, propterea quod ex ferro fiat, & sic de aliis; pollutiones autem, & stimuli carnis in proposito contingunt ex necessitate materię, ex eo quod res venera est materia purganda, lavanda, disputanda, prædicanda, cogitanda; exinde naturali sequela sequitur commotio carnis, &c. Testatur autem hoc non solum experientia, sed Doctrina terti de anima, ubi in c. De motivo principio vult Aristoteles, quod quandoque intellectus non præcipiente, ex imaginatione movetur pars aliqua corporis, &c. Non igitur debet homo propter defectus contingentes ex necessitate materię venerę omittere non solum necessarias, sed utiles cogitationes, locutiones, auditiones, &c. Nam alioquin oporteret aut Angelos, aut viros valde privilegiatos tantum, de ejusmodi disputare, audire, &c. cujus oppositum Ecclesiastica habet consuetudo, & ratio docet. Hæc Eminenti. & doctis. Cardinalis.

Hinc ergo colliges, studere rebus veneris causa docendi, aut discendi, Confessiones, præsentium feminarum excipere, cum eis honeste, & utiliter conversari, eas secundum morem Patrię amplecti, quando sine gravi offensione intermittere non potest, equo incidere, certo, & commode situ cubare, cibo, aut potu calido, sed salutariter moderatè uti, mederi in partibus secretioribus alterius sexus, proprias a sordibus mundare, servare infirmis, aut in balneis, hæc, inquam, & plura alia similia esse licita, quantumvis ex eis prævideatur securata pollutio, & eam ipsam etiã pollutionem esse a culpa immunem.

Dixi t. in conclusione, quando actio de se licita est etiã simul necessaria, aut utilis; quia, si in his, & similibus nulla esset utilitas, essent peccata venialia, vel mortalia ratione pollutionis securatę, proit in eam parum, vel multum influerent. Sic incidere equo, cum æquè commode posses currere, certo situ cubare, cum possis altero æquè commode, talibus cibis uti, cum possis aliis æquè saais, est peccatum veniale ab his non abstinere propter prævisam inde pollutionem; quia, licet, ut dixi, pollutio, que non est per se intena, aut procurata, sed ex necessitate materię, atque naturę impulsu provenit, non sit gravis inordinatio; est tamẽ aliqua inordinatio, mentem perturbans, & ad malum incitans, sic ut causa etiã per accidens illi præberi non debeat, sed vitari, si commode possit, alioquin censetur voluntaria saltẽ imperfecte, ut modo dicam. Dixi 2. Modò absit consensus, aut periculum consensus in pollutione; & hoc sit dictum semel pro semper: quia, ut patet ex §. precedente, consentire directè pollutioni in se, est semper mortale, & consequenter hujus consensus periculo proximo se exponere. Hoc autem periculum quisque advertere potest ex propria experientia; aut ex præsentis voluntatis dispositione.

Dico 2. Quando actio, ex qua prævidetur securata pollutio, est peccatum veniale, sive in genere luxurię, sive in alio, levitè, & remotè tantum influens, in pollutionem, ipsa pollutio inde secuta est tantum veniale peccatum, nec per consequens est obligatio abstinendi ab illa actione, nisi sub veniali. Est ut præcedens S. Th. juxta principium positum de medienda culpa pollutionis ex causa, utrum & aliarum ibidem laudatorum. Unde Cajet. 2. 2. q. 64. 2. & dicit: „Actus materialitèr mortalis, quando non est voluntarius nisi indirectè, & in causa, judicandus est secundum illam causam; & idè effusionem seminis humani extra matrimonium actum posse esse saltem veniale, definitum est, quando actus in causa solum fuit peccatum veniale, ut patet in pollutione nocturna, ex delectatione veniali per diem habita consequente.“

Prob. 1. In tantum pollutio est peccaminosa, in quantum est voluntaria; atqui in causa est tantum voluntaria imperfecte, & secundum quid: ergo est tantum peccaminosa imperfecte, & secundum quid, hoc est, venialitèr. Prob. Minor: in causa est tantum voluntaria in causa, & ratione causę; atqui continetur tantum imperfecte, & secundum quid in causa, sive causa est tantum imperfecte, & secundum quid illius causa, utpotè levitèr tantum, & remotè influens in illam: ergo.

Prob. 2. Idè peccat agens in casu posito ratione pollutionis securatę, quia non amovet causam illius; atqui non tenetur sub mortali eam amovete: ergo, Prob. Minor. Non tenetur 1. ratione causę secundum se, quia secundum se est tantum venialis; neque ratione pollutionis securatę, quia pollutio non intena in se, sed ex conditione materię, & impulsu naturę principalitèr proveniens, non est grave malum neque agens, neque speciè, ut dictum est, alioquin non posset permitti propter levem utilitatem, quod tamẽ omnes concedunt, ut prima conclusio dictum est; sicut v. gr.

homicidium non potest permitti propter levem utilitatem, quia est grave malum: ergo.

Dices: Si quis poneret causam venialem, puta jaceret ex levitate, aut joco per fenestram lapides, ex quo prævideretur securam mortem transcantis, hæc mors foret ipsi voluntaria, & peccasset mortalitèr ponendo hanc causam: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas patet ex dictis, quia mors, aut mutilatio hominis est grave proximi damnum, nec alia datur causa, quam ista projectio, si fiat ex levitate, obligatio eam amovendi, nisi fortè æquale damnum ponendi immineret; secus de pollutione præter intentionem secuta ex causa levi, utpotè que non est grave malum, & habet aliam causam in natura. Quod autem pollutio in hoc casu sit saltem venialitèr mala, patet; quia est aliquatitèr voluntaria in causa, & in se habet aliquam inordinationem, ut dictum est supra post primam conclusionem.

Hinc colliges, locutiones, lectiones, cantiones turpium vanas, & inutiles, item aspectus, tactus, amplexus, oscula, que venialia sunt in materia luxurię sive ex imperfectione actus, sive ex parvitate materię, si fiat ex levitate, curiositate, joco, & alio motivo non libidinoso, etsi ex his prævideatur securata pollutio, esse tantum venialia, tum ex se, tum ut sunt causa pollutionis, quia levitèr tantum, & remotè influunt in illam, ipsamque pollutionem consequenter esse tantum venialem. Intelligit semper, modò absit periculum consensus in illam. Idem dic a fortiori de causis venialibus, & remotè influentibus in aliquo genere, ut de nimio, aut calidiori cibo, & potu, & similibus.

Dico 3. Quando actio, ex qua perfectè prævidetur securata pollutio, est secundum se mortalitèr mala, & simul notabilitèr, & proximè influens in pollutionem, ita ut ex ea nata sit sequi pollutio, tenetur sub peccato mortali abstinere ab illa actione, non solum ratione sui, sed etiã ratione pollutionis securatę, que alioquin erit mortalitèr mala. Quia ejusdem moris est velle effectum, & ejus causam propinquam, nisi ut dixi in prima conclusione, subsit gravis, & justa ratio illam causam ponendi; quod esse non potest, ubi causa est secundum se mortalitèr mala. Hinc colliges, diuturnas, & internas cogitationes, seu delectationes impudicas, aspectus, tactus, amplexus, oscula, turpiloquia, que sunt peccata mortalia in genere luxurię, sive ex objecto secundum se obsceno, sive affectu libidinoso, si ex illis prævideatur pollutio securata, licet non intendatur, esse regularitèr peccata mortalia, non solum in se, sed etiã ut causa pollutionis; ita ut pollutio secuta debeat explicari in confessione, utpotè voluntaria, & mala mortalitèr. Quia hæc gravitèr, & proximè influunt in pollutionem.

Dico: Regularitèr: quia sunt quedam actiones mortales etiã in genere luxurię, que non videntur notabilitèr, & proximè influere in pollutionem, ut est v. gr. consensus instantaneus in delectationem carnalem, & que idè ratione pollutionis securatę, & ut ejus causa probabiliter non videtur mortali. Ita Sanchez, & Salas apud Loth. Idem a fortiori, & probabilius videtur dicendum de actionibus, que sunt peccata mortalia in alio genere v. gr. ebrietate, quia hæc actiones mortales etiã transitorie in materia luxurię. Ita Bonac. q. 4. de matr. puncto 10. Sporer de Sacram. p. 4. c. 3. sect. 4. Reg. 3. citans Navar. Suarez, Layman, & alios: & idè dixi, & simul notabilitèr influent.

Si objicias, S. Th. metiri malitiam pollutionis ex causa, ut sapè dixi; R. id verum esse de causa pollutionis ut causa est; talis autem actio ex causa pollutionis est tantum venialis, quia levitèr influunt in illam, licet sit aliunde mortalis.

Advertunt insuper Auctores, quod, qui possit causam mortalem pollutionis, si antequam eveniat pollutio ipsum causę peniteat, pollutio sequens non censetur amplius ipsi voluntaria, & culpabilis, quia causa desinit esse voluntaria. Unde non tenetur eam explicare in Confessione, quia jam nullam habet malitiam, & sufficienter expressa est in sua causa. Ita Loth art. 4. sub finem, citans plures alios.

Nota bene. Quæ huc usque dixi de causis pollutionis, a fortiori dicenda sunt de causis delectationis, seu commotionis carnalis, quæ est quid minus pollutione, & via tantum, ac dispositio ad illam. Unde 1. Ponere causam honestam, necessariam, vel utilem, ex qua prævidetur securata commotio carnalis absque periculo consensus in illam, nullum est peccatum: & nota, minorem adhuc requiri utilitatem, quam ad pollutionem, quia, ut dixi, est quid minus in genere mali, quam pollutio. 2. Ponere causam venialem levitèr, & remotè influentem in commo-

tionem carnalem notabilem, est peccatum veniale: Dico: commotionem notabilem; quia ponere causam per se proximè influentem in commotionem levem secluso periculo consensus in illam est tantum peccatum veniale, ratione illius commotionis; quia, ut jam dixi initio hujus Dissertationis, datur parvitas materię in hac re volita tantum in causa. 3. Ponere causam proximè, & notabilitèr influentem in gravem commotionem absque urgente necessitate est peccatum mortale ratione istius commotionis.

Petes, utrum ad expellendum semen corruptum, aut secundum pruritus in veneris, liceat ea fricare cum periculo effusionis veri, & prolifici seminis? Resp. affirmative Th. Sanchez, Fillucius, Reginaldus, Bonac. Joann. Sanchez, & alii, quos citat Loth. Tract. 16. q. 3. a. 5. & sequitur quoad speculationem; quia 1. secundum omnes licitum est chirurgo videre, & tangere verenda femine causa curationis, quamvis inde prævideatur pollutionem securatam: tactus autem, aut fricatio pudendorum proprium minus movet, quam alienorum, præsertim diversi sexus. 2. Quia licitum est in bello justo ponere actionem ex se tendentem ad occisionem innocentis, præter tamẽ intentionem formalem agens, ut in expugnatione urbium. 3. Licitum est mulieri prægnanti sumere medicinam causativam sanitatis, licet sequatur inde præter intentionem abortus factus inanimati: ergo similiter. Hæc illi. Verum, cum ista fricatio ex se directè, & proximè tendat in pollutionem, nec istæ infirmitatis mihi idè gravis videatur, censeo potius esse patienter tolerandas, quam tali remedio curandas. Attamen, si revera esset in isto pruritu ingens dolor verendorum, ut quidam dicunt, aut ex semine corrupto immineret gravis morbus, juxta posita antè principia non damnarem illum, qui non habens aliud remedium illud adhiberet, secluso periculo consensus in delectationem, aut pollutionem.

ARTICULUS XIII

De Pollutione Nocturna.

Utrum, & quando sit peccatum.

Pollutionem nocturnam vocat S. Doct. eam, que accidit in somno, quia somnus nocte capi solet. Dico 1. (Hic a. 5. o. 3. p. q. 80. a. 7. o. & in 3. d. 9. a. 4.) Certum est, pollutionem nocturnam secundum se non habere rationem peccati utpotè involuntariam. Quia in somno non habetur perfectè liberum judicium rationis: perfectum enim judicium de aliqua re non potest a nobis naturalitèr haberi nisi per resolutionem ad principium, ex quo nostra cognitio oritur; omnis autem cognitio nostra oritur a sensibus, qui ligantur in somno: ergo.

Quod si aliquis non dormiens intendat pollutionem in somno, aut eo utatur tanquam instrumento, ut eveniat, puta certo situ ea intentione cubando, sive quia prævidens turpe somnium, aut se impudicè tangendum, idè somno se dat: in hoc quidem casu patiendū pollutionem peccaret executivè, eo modo quo quis emittens sagittam peccat eo instanti, quo occidit inimicum; non tamẽ elicitive, aut imperativè, quia tunc non agit ex judicio, aut electione, sed tunc solum quando formavit talem intentionem.

Dico 2. (Ibid.) Perpendenda est malitia pollutionis nocturne ex suis causis, sicut supra diximus de pollutione indirectè tantum in causa volita, que accidit in vigilia; est enim eadem utriusque ratio, ut dixi ex Cajet. Explicatur: (Ibid.) Triplex esse potest causa pollutionis nocturne; corporalis, animalis, & spiritalis, seu ut dicitur secundò loc. cit., spiritualis intrinseca, & spiritalis extrinseca. Corporalis est superabundantia humoris seminalis, vel ex superfluitate alimenti, vel ex speciali temperamento. Item & resolutio hujus humoris, vel ex debilitate naturę, vel per nimiam calefactionem, aut aliam commotionem. Cum enim humor seminalis superabundat in corpore, vel quando facta est hujus humoris resolutio, somnolat dormiens ea, que pertinent ad expulsionem hujus humoris superabundantis, aut resoluti: sicut etiã contingit, quando natura gravatur ex alia aliqua superfluitate, puta urina, ita quod quandoquè formantur in imaginatione phantasmatata ad emissionem similibus superfluitatum. Causa (Ibid.) animalis, seu spiritalis intrinseca sunt cogitationes, & delectationes præcedentes in vigilia; ad quam reduci possunt omnes actiones exteriores, que pollutionem causare possunt. Spiritalis extrinseca est demon tentans, & commovens phantasmatata dormientis in ordine ad talem effectum. Igitur pollutio nocturna est, vel non est peccatum pro conditione Theol. Billuart. Secunda Secunda.

causę, in qua fuit prævisa, aut potuit, ac debuit prævideri. (Ibid.) Si causa non sit culpabilis, nec ipsa erit culpabilis: si causa sit culpabilis venialitèr, levitèr, & remotè influens in illam, erit venialis; si causa sit mortalis gravitèr, & proximè influens in illam, erit mortalis; juxta ea omnia, que dixi articulo præcedente.

Petes, quid sit censendum de pollutione inchoata in somno, & continuata in vigilia? (In 4. cit. q. 1. ad 5.) Qui plene experfactus complacet pollutioni in somno completa, vel actu fluenti propter delectationem peccati mortalitèr: quia complacet rei mortalitèr male: ista tamẽ complacentia non facit pollutionem præteritam esse peccatum, quia ipsius causa non est, ipsa in se est peccatum. Si sit tantum semiperfactus, aut ex subreptione sit talis complacentia, peccat venialitèr. Tandem si placeat ut naturę exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.

Nec tenetur (Ibid.) ejus fluxum actualem cohibere, quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis, non subjacet ulterius voluntati vigilantis; & quamvis subjaceret, cohiberi non posset absque notabili gravamine corporis, & periculo infirmitatum: quapropter potest illum permittere tanquam effectum causę naturalis, que amplius impediri non potest. Præter Auctorem id censent Gerson, Sa, Sanchez apud Sporer, & alii plures. Idem dicendum videtur de quacunque pollutione involuntaria, sive in somno, sive in vigilia eveniat, cum sit utriusque ratio eadem quantum ad hoc, ut jam dixi ex Cajetano.

ARTICULUS XIV.

Utrum liceat gaudere secundum rationem de Pollutione nocturna merè naturali, & involuntaria; aut etiã eam desiderare affectu simplici?

Quod hic dicimus de pollutione nocturna, videtur propter paritatem rationis idem dicendum de pollutione merè naturali, & ex omni capite involuntaria, que accidere potest in vigilia. Certum est 1. esse peccatum mortale gaudere de pollutione nocturna propter voluptatem, aut eam sub ea ratione desiderare, ut art. præced. dixi ex D. Th. quia objectum est mortalitèr malum, cum delectatio venera sit a natura ordinata ad solam generationem in actu conjugali. Certum est 2. Pollutionem sub quavis ratione desiderare efficacitèr, ita quod desiderium eam causet, aut vi illius adhibeantur media ad ejus eventum, esse paritèr peccatum mortale; quia tunc fit voluntaria, & non remanet amplius merè naturalis. Certum est 3. licitum esse gaudere de bono effectu pollutionis, puta de sanitatis, aut cessatione tentationis per illam causata: itèr licere paritèr illum effectum desiderare, quia utrobiquè hoc objectum est bonum: itèr eadem ratio licet gaudere, quod absque peccato, & merè naturalitèr evenit pollutio.

Questio itaque devolvitur, utrum licitum sit, de pollutione merè naturali, & omninò involuntaria gaudere propter bonum finem, seu quatenus est causa boni effectus, puta sanitatis, aut cessationis a tentatione: paritèr utrum sub eadem ratione liceat eam desiderare desiderio simplici, & inefficaci. Partem negativam tenent Soto in 4. d. 12. q. 1. a. 7. Lopez, Medina, Azor. Zunel, Rodriguez, Sylvius hic, Henno, & alii. Hæc Sententia est verè probabilis. Attamèn affirmativa mihi aliquo usque videtur probabilior, tum ab auctoritate, tum a ratione. Unde

Dico (In 4. d. 9. q. 1. a. 4. q. 1. ad 5.) Si pollutio merè naturalis, habita in somnis, placeat ut naturę exoneratio, aut alleviatio, peccatum non creditur. Ita in terminis S. Th. Scio quidam, Sylvium interpretari hæc S. Doct. verba non de pollutione ipsa, sed de ejus effectu, nimirum de exoneratione naturę; at pace doctissimi viri, non dixit S. Th., si placeat exoneratio naturę, sed si placeat, pollutio ut est exoneratio naturę, sive ut est causa exonerationis naturę. Et sanè, si S. Th. intellexisset non de pollutione ipsa, sed de ejus bono effectu, non dixisset quasi sub formidine, non creditur peccatum; certo enim certius est, apud omnes, licitum esse gaudere de sanitatis obtenta per pollutionem. Hanc Sententiam post S. Th. docent gravissimi Theologi, S. Antoninus p. 2. tit. 6. cap. 5. Cajetanus, Sylvester, quos citat, & sequitur Navar. in Man. c. 16. n. 7. Itèr Toletus, Angelus, Lessius, Tannerus, Layman, & alii plures quos citat, & sequitur noster Loth. tract. 16. q. 3. art. 6.

Prob. ratione. Pollutio merè naturalis, & ex omni parte involuntaria, aullo Jure prohibetur, neque naturali, neque

que positivo: non est enim actus humanus, sed effectus merè naturalis, & indifferens ut sternutatio, aut sudor, proindeque non est in se peccatum nequidem materialiter, ut faretur ipse Henno, nobis in hac parte adversarius. Finis autem, propter quem de ea habetur gaudium, est bonus: ergo ex nullo capite illicitum est de ea gaudere secundum rationem. Tale est enim gaudium, quale est objectum, & motivum.

Dices cum P. Henno. Talis pollutio, quamvis naturalis, & indifferens, est tamen nociva naturæ, quia semen est ordinatum ad generationem: non licet autem gaudere de re aliqua etiam naturali, & indifferenti propter bonum finem, si sit alteri nociva. Sic v. gr. non licet filio gaudere de morte naturali Patris propter pinguem hereditatem ipsi obventuram. Ut patet ex proposit. 14. ab Innocentio XI. damnata. R. 1. Naturam non esse sibi contrariam, nec sui ipsius destructivam, proindeque effusio seminis, quæ est ab ipsa natura, non potest, nec debet dici natura nociva. Equidem pollutio, quando est a voluntate hominis, est graviter, si non nocens actu, saltem nociva; quia ejus voluptate, si liceret, illececi homines negligenter legitimum concubitum in totalem naturæ destructionem, ut supra explicui. At natura, quando eam profundit, habet suos fines sibi consentaneos; quod sane liquet ex eo, quod ab initio mundi sit ita disposita, sic egerit, & agit absque ullo sui dispendio: sicut v. gr. licet sanguis sit a natura institutus ad vitam individui, illum tamen natura quandoque effundit, non in perniciem suam, sed e contra in sui ipsius salutem, & conservationem. R. 2. Dato, pollutionem naturalem esse nocivam naturæ, istud tamen nocivum est leve, & abundanter compensatur bono effectu secuto, propter quem de ea lætatur homo. Istud autem nocivum, si revera detur, esse leve patet, ut dixi, ex ipsa experientia ab initio mundi; idque negare non possunt adversarii, qui nobiscum concedunt posse permitti propter levem commoditatem: quod non potest dici de iis, quæ grave nocivum afferunt, puta de morte, mutilatione, incendio, &c. & hinc patet responsio ad paritatem factam de morte patris. Mors enim est omnium damnorum gravissimum, quod non satis compensatur per bona fortune filio obventura. Sed pone effectum ex morte naturali secutum præminere malo mortis, puta, sit pater tuus tyrannus, Republicæ, & Religionis per omnia exitiosus, planè liceret tibi de ejus morte naturali gaudere; imò ipsam affectu simplici, & inefficaci desiderare ob bonum Republicæ, & Religionis. Unde dicit S. Th. (2. 2. q. 76. a. 1. o.) *Esse licitum optare malum alicui sub ratione utilis, puta cum aliquis optat aliquem Peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, ut vel ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocivitate cesset.*

Dico 2. Pollutionem merè naturalem, & involuntariam affectu simplici, & inefficaci desiderare propter bonum finem, non videtur etiam peccatum. Ita tenent, & tenere debent, quotquot docent primam Conclusionem, ex illa enim sequitur. Quia, si licitum sit gaudere de facto, licitum est desiderare, ut fiat: gaudium etiam nascitur ex desiderio obtento, ipsumque supponit; unde sunt ejusdem moris. Adde, quod præteritum, & futurum non variant naturam actuum, quando procedunt ex eodem motivo; ut patet in vidua, & sponsa, quarum hæc de copula futura, illa de præterita sibi complacet.

Confirmatur: objectum talis desiderii, ut dixi, non est malum, nequidem materialiter; finis, propter quem desideratur, est bonus: ergo ex nullo capite est malum. Quapropter, cum dicitur, pollutionem in se volitam, & intentam esse semper peccatum mortale, intelligendum est de volitione efficaci, aut de pollutione in se & propter se, non propter bonum finem volita.

Solvuntur objectiones.

Obj. Voluntatis efficaciæ, & inefficaciæ est idem objectum; atqui non licet velle efficaciter pollutionem; ergo nec inefficaciter. R. D. Maj. est idem objectum materiale, C. Maj.; est enim utrobique pollutio: est idem objectum formale, N. sic v. gr. sit pauper, qui desiderat inefficaciter facere elemosynam, & habet etiam pauper qui idem desiderat efficaciter utroque habet idem objectum materiale, scilicet elemosynam, non tamen formale: quia primus vult tantum elemosynam simpliciter secundum se, alter vult illam per furtum, quo vitium ejus bona intentio. Similiter in nostro casu idem est objectum materiale voluntatis efficaciæ, & inefficaciæ,

scilicet pollutio, non item formale: objectum enim formale voluntatis inefficaciæ est pollutio ut habenda per causas merè naturales propter bonum finem: objectum voluntatis efficaciæ est pollutio habenda per media voluntarie adhibita, quia intentio efficax movet ad electionem mediorum. Unde in hoc casu pollutio desinit esse naturalis, & fit voluntaria; in primo autem remanet naturalis, & fit tantum volita. Aliud enim est volitum, aliud voluntarium; voluntarium procedit a voluntate, volitum est objectum voluntatis: sic pluvia est volita ab agricola, non tamen ipsi voluntaria. Quando autem objectum non est malum, non est mala ejus simplex volitio, licet non sit semper licitum illud velle efficaciter, aut facere. Utrumque patebit modo.

Obj. 2. Licitum est facere, seu procurare, quod est licitum velle, unde S. Th. in hac parte, q. 76. a. 1. o. dicit: facere aliquid, & illud velle se consequuntur in bonitate, & malitia; atqui nulli licet facere, seu procurare pollutionem: ergo nec velle. R. D. Maj.: licitum est facere, quod licet velle facere, C. quod licet velle fieri, N. ita ipse Sylvius, nobis hic contrarius interpretatur S. Th. loc. cit. Vel aliter: licet facere, quod licet velle efficaciter, C. quod licet velle inefficaciter; N. in idem redit. Plura sunt enim, quæ nobis licet velle fieri ab aliis, aut velle inefficaciter, quæ tamen non possumus facere: sic v. gr. mihi licet homicidium a Judice occidi, non tamen ipsum occidere: sic mihi licet velle inefficaciter mortem illorum, qui Republicam, aut Religionem conculant, non tamen illis interire: sic juxta S. Th. supra cit. licet velle morbum peccatoris, ut non amplius noccat, non tamen illi procurare.

Istabis cum eodem Sylvio: juxta S. Th. ex D. August. *Hoc licet orare, quod licet desiderare;* atqui non licet orare Deum, ut tibi dormienti eveniat pollutio, cum sit per se mala: ergo. Quibusdam forte videbitur neganda hujus argumenti Minor cum sua probatione, etiam ex ipsis principis quorundam adversariorum, qui tenent nobiscum pollutionem merè naturalem non esse ex natura sua malam, neque materialiter, neque formaliter, sed esse effectum purè naturalem, qualis est sternutatio, aut emissio humoris superflui per aures, ita in terminis P. Henno, ut jam monui supra; quale ergo inconveniens, si petam a Deo effectum merè naturalem ad bonum finem? Omissa tamen hac solutione. R. D. Maj. hoc licet orare, quod licet desiderare efficaciter, C. Maj. quod licet desiderare inefficaciter, N. Maj. Hoc ipso enim quo adhibetur oratio ad obtinendum objectum desiderii, jam non amplius sistitur intra limites desiderii simplicis, & inefficaci, sed fit efficax ex ipso medio adhibito, & ipsum desiderii objectum non remanet simpliciter volitum, sed fit voluntarium, cum procedat a voluntate per medium adhibitu. Quapropter admittenda est Minor argumenti non propter ejus probationem, quæ, ut dixi, est falsa, sed quia adhibita oratione desiderium pollutionis fieret efficax, & ipsa pollutio non maneret simpliciter volita, sed etiam esset voluntaria. Quantum autem ad D. Th. patet esse intelligendum de desiderio efficaci; quia ibi loquitur de desiderio bonorum temporalium, quæ licet efficaciter desiderare.

Obj. 3. Non licet gaudere propter bonum finem de homicidio, adulterio, perjurio, & similibus in ebrietate amentia, aut ex ignorantia perpetratis, ut patet ex hac propositione ab Innocentio IX. damnata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hereditate consecutas;* neque etiam desiderare affectu licet simplici, ut sic eveniant; quæ enim non horreat filium, qui desideraret occidere patrem in ebrietate propter ejus hereditatem capessendam; puellam, quæ cuperet vim sibi dormienti inferri propter utile matrimonium consequendum? Ergo. R. concessio Ant. N. Consequens. Disparitas est jam insinuatæ & clara. Homicidium, adulterium, & similia non sunt actus merè naturales, sed ex natura sua petunt esse actus morales, & liberi, sicutque Jure naturæ prohibiti, proindeque intrinsecè, & ex natura sua mali, solumque defectu rationis, & voluntatis liberè excusantur a culpa formali. Hæc autem causa excusans non reperitur in eorum desiderio, seu gaudio, quæ propter ea sunt mala formaliter, utpotè actus liberi de objecto materialiter, & intrinsecè malo. Hæc enim tenenda est regula: quoties causa excusans a peccato factum exterius non reperitur in ejus desiderio, vel gaudio; tunc, licet factum sit liberum a culpa, non est tamen liberum a culpa ejus desiderium, vel gaudium. Pollutio autem vi naturæ proveniens non est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed actus natu-

ruralis, seu naturalis evacuationis naturæ, sicut sudor & aliæ expulsiões, proindeque nullo Jure prohibentur, & vacat omni culpa, non defectu cognitionis, aut libertatis sicut homicidium, aut adulterium, sed quia nulla lege prohibetur, utpotè effectus merè naturalis; unde velle illum ut talem non contrahit ullam malitiam.

Inst. Si voluntas ad illam liberè concurreret, non vacaret culpa: ergo vacat culpa tantum defectu cognitionis & libertatis, ut homicidium. R. D. Ant. si voluntas concurreret ad illam causandam & procurandam, non vacaret culpa, C. Quia tunc desineret esse merè naturalis, & fieret voluntaria; si voluntas concurreret simplici affectu, seu gaudio, N. Quia tunc remanet merè naturalis, & fit tantum volita: potest autem esse simpliciter & inefficaciter volita, quia non est ex se mala etiam materialiter, utpotè effectus naturalis nullo Jure prohibitus. Homicidium autem, adulterium, &c. non possunt esse sic volita, quia sunt peccata materialiter, utpotè lege prohibita, & solum defectu voluntatis, quæ tunc adesset, a peccato formali excusata.

Obj. 4. Tenetur quis pollutionem naturaliter fluentem cohibere, si possit absque suo gravi incommodo: ergo non potest illam desiderare. Ita Henno. R. 1. juxta S. Th. supra citatum, pollutionem fluentem non posse impediri; & dato quod possit, id tamen fieri non posse absque notabili incommodo, ut dixi prius. Unde negandum est suppositum Antecedentis. R. 2. dato Ant., D. Consequens: ergo non licet illam desiderare secundum se, C. Pro suo commodo, N. Sicut enim secundum Theologum Franciscanum non tenetur eam cohibere cum suo incommodo, ita potest illam desiderare pro suo commodo; nec aliud nos intendimus. Insuper non satis sibi constare videtur laudatus Theologus. Docet enim infra q. 11. non esse obligationem, saltem sub mortali, resistendi motibus carnalibus naturaliter obortis, quia sunt naturales & nullo modo in se peccata; si autem id verum sit de motibus ad ipsam pollutionem, cur non de ipsa pollutione? Ceterum hanc questionem verbis Navarri loc. cit. absolvam: *Ob rationes, quibus in præsentia respondere necesse est, & ob prædictorum, quos sequimur, auctoritatem, hæc partem sine ulla contentione peritici, & præjudicio ejus, qui contra contententur, sub correctione debita tenemus.*

ARTICULUS XV.

De delectatione morosa in materia venerea.

Quamvis delectatio morosa per omnia peccatorum genera vagetur, & de ea ex professo tractat Auctor 1. 2. q. 74. ne tamen aliquid desit presentis tractui, quæ spectant delectationem in hac particulari materia, in qua frequentior est, nunc expedit per distinctos §§. Unde sit

§. I. Utrum delectatio morosa in materia venerea sit semper peccatum mortale?

Nota 1. (In 2. d. 24. q. 3. a. 4. o. & ad 2.) Delectatio ut sic est actus appetitus, sive rationalis, sive sensitivi, quiescentis, seu sibi complacentis, atque oblectantis circa rem, vel operationem aliquam sibi convenientem. Delectatio venerea est illa, quæ oritur ex commotione spirituum generationis deservientium: Talis autem commotio, seu concupiscentiæ motus, ut jam notavi, oriri potest ex variis causis, ex demone tentante, ex temperamento, complexione, aut debilitate naturæ, ex nimia calefactione, ex nimia quantitate, aut calidiori qualitate alimentis, ex superabundantia humoris seminalis, & similibus; tandem ex objecto realiter visto, tacto, vel per imaginationem apprehenso: objectum enim per imaginationem apprehensum ferè æquè movet, ac si esset realiter præsens. Pro quo

Nota 2. dupliciter aliquid posse nobis fieri præsens; uno modo realiter in se, alio modo vi phantasie; & uterque modus delectationem ejusdem rationis ponit, ut patet ex his, quæ in somno accidunt, dum imaginantur comedere, bibere &c. Quod etiam docet Aug. 1. 12. de Civit. c. 19. Et ratio est: quia phantasia habet vim sensuum exteriorum: unde, sicut res, quando a parte rei est præsens sensibus, causat delectationem, ita similiter parit delectationem, quando vi phantasie apprehenditur ut præsens, licet a parte rei non sit præsens.

Nota 3. (1. 2. q. 74. a. 8. o.) in qualibet rei apprehensione, sive per sensum, sive per intellectum, posse duo considerari, scilicet ipsam apprehensionem, quæ est quedam

actualis rei notitia, & ipsum opus, seu objectum apprehensum: delectatio autem, non solum ex opere, seu objecto apprehenso, sed etiam ex ipsa apprehensione oriri potest; apprehensio enim, seu cognitio veritatis, aut rei rare, vel nove, maximè delectat, quamvis sit quandoque rei, cujus usus, vel exercitium nihil voluptatis continet, sed quandoque sit tristissima & odiosa: sic delectantur homines lectione, auditione, narratione prætorum, latrociniorum, & similibus, quæ displicent: item recordatione malorum, quæ susinuerunt absque ulla in his complacentia: sic delectatur Doctor, aut studens intelligentia operum, quæ ad generationem concurrunt, Confessarius cognitione peccatorum in materia luxuriæ: sic curritur ad spectacula rerum etiam tristissimarum.

Nota 4. (Ib. a. 6. ad 3.) Delectatio morosa idem est ac voluntaria: non enim dicitur morosa a mora temporis, cum uno instanti possit perfici peccatum morosæ delectationis per voluntatis consensum; sed dicitur morosa a mora rationis, quatenus ratio eam advertens, vel ei consentit, vel non repellit, prout potest & debet, sicut circa eam immoratur, eo sensu quo quis officio suo non fungens dicitur esse in mora. Questio est igitur, utrum simplex delectatio voluntaria, tam de apprehensione, seu cognitione rei venereæ, quam de ipsa re venereæ apprehensa, aut cognita, seclusa voluntate operis exequendi sit peccatum mortale? voluntatem enim ipsius operis esse mortaliter malam, nullus dubitat; ante cujus resolutionem

Suppono ex his, quæ traduntur 1. 2. q. 74. citata, nullum concupiscentiæ motum habere rationem peccati formalis, etiam venialis, independentè ab omni consensu saltem indirecto, seu interpretativo voluntatis, proindeque motus venereos, qui præveniunt omnem rationis deliberationem, aut quibus voluntas resistit, nullatenus imputari ad culpam, etiam venialem. Patet 1. ex Conc. Trident. sess. 5. cap. 5. ubi definitur concupiscentiam, quæ manet ad agonem, non nocere non consentientibus, nec appellari ab Apost. peccatum verè & propriè, sed quia est ex peccato, & ad peccatum inclinatur. 2. Ex condemnatione sequentium propositionum per Sixtum V. Pium V. *Concupiscentia, sive lex membrorum; & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Est 51. inter Balanos, *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, non concupiscentia.* Est 50. idem 55.

3. Auctoritate & ratione SS. Aug. & Thomæ S. Aug. 1. 2. retract. c. 23. *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Ex libr. de duab. animab. c. 10. *non nisi voluntate peccatur.* (Ib. a. 2. ad 1. & per totam q.) S. Th., *Non peccatur, nisi voluntate sicut primò movente, aliis autem potentis peccatur ab ea motis.* 4. Ratione: Actus, qui nullam habent dependentiam a ratione, neque ut operante, neque ut permitte, neque ut negligente, vel dissimulante, non sunt actus humani; quia non sunt actus hominis in quantum homo est, scilicet per rationem & voluntatem: nullus autem actus est verè & propriè peccatum, nisi sit humanus, aut hominis qua homo est.

Et hic sensus est non solum omnium Theologorum, sed totius generis humani, exceptis nostris Sectariis. Ita quod actus nostri sint, vel non sint peccata, sint magis, vel minus peccata, secundum quod sunt, vel non sunt, magis, vel minus a voluntate, seu voluntarij; unde motus, qui dicuntur primò primi, nullatenus censentur peccata, quia nullatenus sunt voluntarij; secundo primi peccata venialia, quia sunt imperfectè voluntarij; perfectè deliberata peccata mortalia. Non tamen semper requiritur voluntatis consensus positivus & directus in ipsum motum, sed sufficit, vel indirectus in causam, vel interpretativus, quando nempe homo potest & debet aut prævenire, aut reprimere hos motus, & non facit.

Quod S. Th. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 1. dicit, hominem per rationem posse vitare singulos motus concupiscentiæ, sed non omnes. Ad 3. quod motus sensualitatis rationem præveniens sit peccatum veniale. In 2. D. 21. q. 1. a. 2. quod non autem quæ est a mundo, vel diabolo, nisi accedat delectationis consensus. Et 3. p. q. 41. ad 3. quod reatato, quæ est a carne, non possit esse sine peccato. Tria prima loca intelligunt ejus Interpretes de motibus, qui, quamvis præveniant perfectam deliberationem, sequuntur tamen ad imperfectam, sicutque secundum quid potuerunt impediri, unde sunt venialia. Quartum intelligunt, quod non possit esse sine peccato prævio, scilicet originali. Pro quo & pro quibusdam locis D. Aug. vide Sylvium loc. cit. Quantum

verò ad præceptum, Non concupisces, per illum non prohibentur motus involuntarii, sed ne eis demus consensum, juxta illud Eccli. 18. Post concupiscentias tuas non eas.

His notatis & suppositis, de quibus latius alibi, Dico 1. (Ibid. a. 8. o.) Delectatio voluntaria de cogitatione, aut cognitione rei veneræ, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. (Ibid.) Ratio est; quia delectatio de cogitatione, seu cognitione, v. gr. fornicationis, sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam; atqui cogitatio, seu cognitio ipsa fornicationis secundum se non est peccatum mortale, cum sit in Deo, & patet ex 3. notamine, sed quandoque veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de fornicatione; quandoque autem sine peccato, puta cum aliquis utiliter cogitat de ea, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare: ergo.

Dico 2. (Ibid.) Delectatio morosa, sive consensus directus & plene deliberatus in delectationem ipsius rei veneræ realiter, aut per apprehensionem præsentis, est semper peccatum mortale. Ratio est (Ibid.) quia, quòd aliquis cogitans, v. gr. de fornicatione, delectetur de ipso fornicationis actu, hoc contingit ex hoc quòd affectio ejus inclinata in hunc actum, seu illum amet, etsi opere completere non velit: undè, quòd aliquis consentiat in talem delectationem; hoc nihil aliud est, quàm quòd ipse consentiat in hoc, quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem; nullus enim delectatur, nisi de eo, quòd amat, aut est conforme appetitui ejus; atqui, quòd aliquis eligat ex deliberatione quòd affectus suus conformetur his, quæ sunt secundum se peccata mortalia, quæ sunt omnes actus veneræ, id certò peccatum mortale: ergo. Uno verbo: qui delectatur voluntariè de re mortaliter mala, hanc amat; & voluntariè illi afficitur, quòd est mortale.

Nota. Quando verò dubitatur, an delectatio fuerit de cogitatione ipsa, vel de re cogitata, si cogitatio cum delectationem frequenter absque necessitate, aut utilitate se ingerat, signum est delectationem esse de re cogitata, quia hujusmodi frequentia cogitationis absque necessitate, vel utilitate videtur oriri ex prava inclinatione affectus ad res ipsas: si autem talis cogitatio non sit importuna, sed sequatur iudicium & moderamen rationis, signum est, quòd delectatio sit tantum de ipsa cogitatione. Cave tamèn, facilis est descensus in hac materia a delectatione cogitationis ad delectationem rei cogitate, præsertim si sit inutilis & vana cogitatio: undè qui tunc diu immoratur periculo se exponit.

Dixi 1. in Conclusionem, Esse semper peccatum mortale; quia, ut patet ex dictis initio Dissertationis, non datur levitas materiae in re veniæ directè in se volta. Dixi 2. Consensus directus; quia consensus in causam potest esse peccatum veniale tantum, & quandoque nullum, ut satis iusè dixi de pollutione voluntaria directè, nimirum ponere causam honestam, seu de se licitam, quæ sit necessaria, aut utilis, undè prævideatur securura commotio, seu delectatio carnalis, nullum est peccatum: ponere causam, quæ sit venialis tantum, leviter & remotè influens in commotionem, est peccatum veniale: modò tamèn in utroque casu absit periculum consensùs in ipsam delectationem: ponere verò causam mortalitèr malam gravitèr & proximè influentem in commotionem est peccatum mortale, etiàm ratione ipsius commotionis. Vide attentè, quæ diximus loc. cit. ea enim militant pro commotione carnali, sicut pro pollutione, cum sint ejusdem rationis, nisi quòd commotio sit quid levius pollutione; imò, ut patet ex dictis initio Dissert. a. 2. ponere aliquam causam per se proximè influentem in levem commotionem non est nisi peccatum veniale; quia, ut dixi, datur levitas materiae in re veneræ, indirectè tantum volta in sua causa.

Dixi 3. Consensus plene deliberatus, ad quam requiritur plena advertentia; si enim sit semiplena, aut imperfecta, erit peccatum veniale; si nulla advertentia, non erit peccatum, etsi diuturnus sit motus: si autem adsit quidem plena advertentia, sed denegatur consensus quin imò resistatur, non tantum erit peccatum, sed meritum, etsi per horas perseveret tentatio.

Porro, dato quòd in aliis peccatis externis non requiratur semper advertentia ad malitiam actus, hic tamèn videtur omninò requiri; quia hi motus interni facillimè, frequentissimè, & quasi sensibiliter irrepunt, nec sui malitiam ita aperte ac promptè menti ingerunt, sicut actus externi; undè, si presentias quidem & advertas te carnaliter delectari, sed non advertas delectationem esse inordinatam & malam, non erit peccatum, saltem mortale. Ita S. Th. (Q. 15. de verit. a. 4. ad 10.) his verbis: Antequàm ratio delectationem per-

pendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretatorem consensum, etiam si non resistat. Ut autem scias, quid intelligat per nocumentum, & ut non putes ipsum disjunctivè loqui, attende immediatè sequentia: Sed quando jam pendente ratio de delectatione inurgente & de nocumento consequente, ut potè cum percipit homo se totalièr per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari & in præcepta ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire. Item aperte in Summa: (1. 2. q. 74. a. 6. o.) ratio deficit in directione passionum interiorum... quando non reprimat illicitum passionis motum: sicut, cum aliquis postquam deliberaverit, quòd motus passionis inurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum moratur, & ipsum non expellit. Ita etiam sentiunt post Auctorem Bonac. de matr. q. 4. p. 7. n. 6. citans Vasquez & Becan. Item Lessius l. 4. c. 4. d. 15. n. 116. Sponer in Decal. Tract. 1. proem. cap. 6. sect. 2. §. 1. n. 11. Si tamèn fuerit negligentia in advertendo, sicut & in preveniendo istos motus, poterit esse peccatum pro qualitate negligentia; plerumquè veniale.

Quòd si dubitatur, an fuerit consensus in delectationem, aut an fuerit plene deliberatus; hujus dubii practici & frequentissimi resolvendi causa, assignantur communiter à Theologis sequentes Regulæ. Prima, si dubitans sit timorata conscientia, aut si nunquam, vel raro exteriori actu peccat in hac materia, præsumitur non consensisse, saltem plene; si enim sic consensisset, non dubitaret, sed talis cognosceret, cum sit timorata conscientia. Adde in similibus delectationes communiter esse tantum in appetitu sensitivo. A contrario, si dubitans sit liberioris conscientia, aut actu exteriori non infrequentèr labitur, præsumitur consensisse; si non enim consensisset, id certò cognosceret, nec dubitaret, cum sit liberioris conscientia. 2. Si instantaneè & obiter hæserit delectationi, dubitans de consensu, potest præsumere non adfuisse saltem plenum; licèt enim transitoria delectatio possit esse mortalis, hoc tamèn verum est dumtaxat, dum constat de consensu, qui sæpius non adest, dum quis instantaneè delectationi adhæret, & statim repellit.

Dixi 4. Rei, & non modi tantum, quia delectari de modo subtili, novo, ingenioso, quo actio turpis est perpetrata, malum non est, cum iste modus non sit malus, & ab actione turpi disparatus, possitque licèt reperiri & adhiberi in alia actione non turpi. Sic Pater cogitans de rapto filie suæ potest delectari de modo subtili, quo rapta est, licèt raptum desereret, sic quis potest delectari de suavitate cantus turpis, licèt turpitudò displiceat: sic quòdè delectatur de modis ingeniosis, quibus grassatores vulgò Filoux, furantur, licèt eorum furta improbemus: sic tandem Christus laudavit Villicum iniquitatis, quòd prudenter egisset; laudavit, inquam, modum ejus subtillem, non actionem.

Idem statuerè possimus de delectatione rei, quæ non est intrinsecè mala, sed solum quia prohibita; quia in simplici delectatione, seclusa voluntate operis, potest res illa secundum se considerari abstracta a prohibitione, quæ est ipsi accidentaria; secundum se autèm non est mala, adeoque de illa sic delectari non est malum, sed tunc solum, si esset delectatio de illa qua prohibita. Undè communiter docent Theologi, Carthusianum non peccare, saltem mortalitèr, si delectetur de esu carniùm cogitatio; sicut nec Laicus, qui de illo delectatur in Quadragesima, vel feria sexta; nisi fortè delectaretur de illo esu exercendo die prohibita. Sicutque pari ratione non peccat, saltem mortalitèr, in præsentia materia, qui delectatur secundum rationem de matrimonio in eundem cum affine, aut consanguinea in tertio, vel quarto gradu, abstrahendo a prohibitione Ecclesiæ. De his fasius in 1. 2. q. 74. citata.

Obj. 1. contra 2. conclusionem. Jacobi 1. dicitur: Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem; atqui non consummatum peccatum nisi opere, vel saltem voluntate operis: ergo. R. N. Min.: peccatum enim consummatum pleno consensu voluntatis, qualis hic reperitur, si non ad faciendum, saltem ad delectandum. Insuper, dato Apost. Jacobum loqui de peccato consummato per opus externum, dicit quidem, quòd generat mortem, sed non negat, quòd consensu interno consummatum non generat mortem: id solum speciali ratione tribuit primo, quia peccator opere externo perpetrato audacior factus facillius relabitur, & peccandi consuetudinem contrahendo difficillius resurgit.

Obj. 2. Aug. 12. de Trinit. c. 12. dicit, de talibus delectationibus morosis peccus esset peccandum atque dicendum dimitte nobis debita nostra; atqui juxta eundem Aug. in Enchir. c. 71. tunso pectoris & oratio Dominica sunt remedia contra venialia: ergo. R. (Hic art. 8. ad 6. & q. 25. de

de verit. a. 4. ad 1.) Juxta ipsum S. Aug. ibidem in Enchir. quòd oratio Dominica, & alia hujusmodi, non solum ad delenda peccata venialia valent, sed etiàm ad remissionem mortalium; quamvis non ita sufficiant ad delectationem mortalium, sicut venialium.

Instabis juxta eundem S. Aug. loc. cit. de Trinit. consensus in delectationem sine voluntate perinde est, ac si mulier sola cibum vetitum in Paradiso comedisset; atqui, si sola mulier cibum vetitum comedisset, vir non fuisset mortuus: ergo. R. S. Aug. in hac comparatione non intendere omnimodam paritatem: est enim disparitas juxta ipsum ibidem, quòd vir & mulier in Paradiso essent distinctæ personæ: sed in homine ratio inferior, quæ mulieri comparatur, & ratio superior, quæ comparatur viro, ad unam eandemque personam pertinent. Undè addit ibidem: Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate minimum talibus oblectandi, solus cogitationis scintilla esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.

Obj. 3. (Q. 15. de verit. cit. ad 9.) Delectatio morosa nullo præcepto videtur prohibita: ergo. R. 1. Prohiberi præcepto, Non concupisces; qui enim consentit in delectationem afficitur illius objecto, proindeque concupiscit illud, si non ad faciendum, saltem ad oblectandum. R. S. (Ibid.) Prohiberi præcepto, quo prohibetur opus externum; hoc ipso enim quo prohibetur fornicatio, v. gr. prohibentur omnia, quæ ad idem genus pertinent.

Inst. In delectatione morosa fornicationis non reperitur malum fornicationis, scilicèt mala eductio prolis: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 3.) non reperitur malum fornicationis effectum, C. amatum, N. Hoc autem sufficit; alias sequeretur, quòd ipsa voluntas fornicandi, opere non secuto, non foret mala.

Obj. 4. Deus est prior ad premiandum, quàm ad puniendum; atqui non premiat solum delectationem voluntariam de bono sine voluntate ipsam faciendi: ergo non punit delectationem voluntariam de malo; seclusa voluntate illud faciendi. R. D. Maj. (Ibid. ad 3.) Deus est prior ad premiandum bona, quàm ad puniendum mala, C. est prior ad premiandum, quæ non sunt bona, quàm ad puniendum mala; N. Jam autèm delectatio voluntaria de bono, seclusa positivè voluntate faciendi, non est bona meritò, licèt mala sit delectatio mali seclusa voluntate faciendi: quia plura requiruntur ad hoc, ut aliquid sit bonum meritò, quàm ut sit malum demeritorum; bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu, ut dicitur communiter.

§. II. Utrum sit peccatum, & quantum, si quis post plenam advertentiam rationis non reprimat naturales motus concupiscentiæ, sed negativè se habeat, neque consentiendo, neque dissentiendo.

Circà hanc quæstionem est duplex sententia. Prima affirmat, esse peccatum mortale se habere negativè ad hos motus, seu delectationes carnales post plenam advertentiam; pro hac sententia citantur Vasquez, Valentia, Lessius, Azorius, Ledesma, Zúmel, Curiel &c. Secunda negat, esse peccatum mortale: hanc tenent Cajetanus in summa v. delectatio. Sylvester ibid. Angelus ibid. Toletus l. 5. c. 14. Layman l. 1. Tract. 3. c. 6. n. 7. & 8. Navarrus in Man. c. 11. n. 12. Adrianus, Gorduba, & alii plures; probabilem censet Sylvius, licèt oppositam censet probabiliorè: nobis utraque videtur speculative probabilis.

Stabilitur prima Sententia affirmans.

EX D. Th. (1. 2. q. 74. a. 5. o.) qui dicit peccatum esse in ratione: Quando ratio inordinatus actus inferiorum virtutum vel imperat, vel etiam post deliberationem non cohercet. Item (Ibid. a. 6. o.) docet, peccatum esse in ratione, quando deficit in directione interiorum passionum, quia est earum directrix: Deficit autem, inquit, in directione passionum interiorum duplicitèr; uno modo quando imperat illicitas passiones... alio modo quando non reprimat illicitum passionis motum: sicut cum aliquis postquam deliberaverit, quòd motus passionis inurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non repellit; & secundum hoc dicitur peccatum delectationis morosæ in ratione.

Ratio fundamentalis est: quia, qui post plenam advertentiam non resistit motui, seu delectationi carnali, ipsi interpretativè consentit, cum possit & debeat resistere. 1. Potest, quia ut suppono, plene advertit. 2. Debet, qui

ut dictum est modò ex S. Th. & secundum rei veritatem officium & obligatio rationis est refrænare passiones inordinatas, atque sibi repugnantis, juxta illud Gen. subter te erit appetitus tuus, & tu dominaveris illius: neque dici potest, hanc obligationem esse levem, cum sit circa materiam gravem & in genere peccati mortalis illicitam: ergo. Confirmatur 1. Consensus expressus in talem delectationem foret mortalis: ergo & interpretativus: quia hi duo consensus sunt ejusdem moris, & interpretativus in moralibus reducitur ad speciem expressi, cum habeat idem objectum. Confirmatur 2. Mulier tenetur sub mortali resistere ebrio vel amenti ipsam impudicè tangenti, licèt ipsa motibus exortis non consentiat expressè: ergo similiter.

Proponuntur fundamenta secundæ Sententiæ negantis.

Fundatur 1. etiàm in D. Th. loc. cit. §. præced. scilicèt q. 15. de verit. a. 4. ad 10. ubi docet, tunc solum esse consensum interpretativum, quòd ad advertit nocumentum, seu periculum consensùs. Fundatur etiàm in D. Aug. l. 1. de civit. c. 15. dicente: Si motus concupiscentiæ sine peccato est in corpore dormientis, quòd magis in corpore non consentientis? Fundamentum a ratione est: Quia, licèt inferior appetitus mali objecti sit quædam deordinatio & deformitas in homine utpotè mentem perturbans & ad malum incitans, non est tamèn secundum se gravis, quòd præter voluntatem ex infirmitate nature oritur: ergo, etsi sit quædam obligatio illum reprimendi, non est tam gravis. Prob. Ant. multipliciter, 1. quia talis appetitus, seu motus inferior, cum non sit actus humanus, sed merè naturalis, non subjacet legi, proindeque non debet esse illicitus etiam materialitèr in genere peccati mortalis. 2. In aliis passionibus etiàm motus naturales quandoque legitime permittuntur ad tempus, ut majori cum merito coercerentur: ergo neque in illis, neque in ista sunt secundum se in genere gravis mali. Juxta communem Theologorum etiàm adversariorum sententiam, ob levem utilitatem huius appetitus, seu delectationes naturales possunt permitri, non solum in sua causa, ut supra dictum est, sed etiàm in se ipsis immediate, ut modò dicam. Quòd fieri non posset, si secundum se essent grave malum, ut patet de homicidio, adulterio &c. Et sic patet responsio ad rationem fundamentalem adversæ sententiæ: vide, quæ dixi art. 13. de pollutione nocturna.

Sed contra inferes: ergo non erit peccatum mortale consentire expressè illis motibus. Prob. illatio: talis est consensus, quale est objectum; atqui ex doctrina tradita objectum talis consensùs non est grave malum: ergo. R. N. illationem. Ad probationem, N. Minorè: Noa enim dixi, hos motus naturales non esse grave malum, seu non esse illicitos in genere peccati mortalis respectu voluntatis, seu appetitus rationalis, sed tantum respectu appetitus inferioris: hoc est: non est grave malum, quòd appetitus sensitivus delectetur circa illos motus, quia, ut dictum est, non subjacet legi; sed grave malum foret, quòd voluntas, seu appetitus rationalis circa illos eosdem delectaretur, seu delectationi appetitus inferioris consentiret, quia subjaceret legi gravitèr talem consensum prohibenti, quatenus scilicèt, cum hi motus sint a natura ad solam generationem ordinati in actu conjugali, grave malum est voluntate illos velle, sique consentire extra hunc statum. Sic; quòd appetitus inferior appetat vindictam, aut de ea delectetur, non videtur grave malum; seclusis, si voluntas illam appetat, aut appetitui inferiori consentiat.

Neque verum videtur, quòd dicitur in prima confirmatione ex Lessio, consensum interpretativum æquivalere expresso in gravitate culpæ, maxime si loquimur de peccatis interioræ appetitionis. Nam permissio voluntatis, quæ dicitur consensus interpretativus, in tantum ad culpam imputatur, in quantum est aliquid mali, seu incommodi, quòd impediti potest & debet: quare, si malum grave non sit, ejus voluntaria permissio non potest ad gravem culpam imputari; porro appetitum sensitivum delectari circa motus naturales ostendimus non esse grave malum; seclusis, quòd voluntas illos amet & appetat, ut patet in exemplo vindictæ supra.

Ad 2. confirmationem patet disparitas ex dictis. Quia tactus facti ab ebrio, seu amente circa mulierem non sunt actus naturales, sed ex natura sua petunt esse actus morales & liberi, proinde cadunt sub lege prohibente, suntque mali materialitèr, undè mulier tenetur sub mortali, quantum in se est illos impedire. Ad S. Th. respondetur in-

intelligendum esse de eo, qui circa illos motus immoratur iis consentiens, seu, ut dicit ibidem ad 3. *Tenens & volvens libenter, quae statim ut attigerunt animum*, scilicet inclinando rationem in consensum, respici debuerunt, loquitur de obligatione restituendi, quae inest nobis, non ob ipsos motus, sed ob periculum consensu ii annexum, ut dicam modò, & patet ex q. 16. de verit. citata. Vel tandem & forè melius, ac dictis conformius, quòd reverè ratio deficiat & peccet; cum non reprimat motus naturales, quia est quaedam inordinatio, ut dictum est; non tamèn mortalitèr, quia, non est gravis inordinatio.

Quidam absolùtè negant, ullam esse obligationem his motibus resistendi, & consequentèr negant esse consensum interpretativum, dum non resistitur; sed veritati conformis videtur agnoscere obligationem, non tamèn gravem. Si opponas legem: *Non concupiscas*; jam respondi suprà, ea tantum prohiberi consensum voluntatis in motus concupiscentiae. Hæc dicta sùnt in elucidationem veritatis speculativæ; nam pro praxi

Dico: se habere negativè circa motus carnales naturalitèr exortos, est regularitèr peccatum mortale; si non præcisè ratione istorum motuum, saltem ratione periculi consensu iis annexi. Quia, cum hi motus vehementèr animum alliciant, & ea sit quasi naturalis conditio hominis appetitu sensitivo delectante in aliquo, similèr etiàm voluntas delectetur, nisi ipsas voluntas positivè resistat, aut saltem actum displicentiæ, seu, ut ita dicam, nolletatis eliciat, imminet periculum illis consentiendi; & contrarium pretendere, præsumptio est. Imò puto rarissimum in praxi, quòd quis omninò se negativè habeat, & quòd non consentiat, qui non dissentit. Quis enim credat motus illos voluntati illius non placere, qui, cum eos plenè advertit, sinit absquè rationabili causa eos partes suas agere, appetitum inferiorem delectabiliter commoveri, & phantasiam has obscenitates volvere & revolvere?

Dixi: *Nisi saltem actum displicentiæ, seu nolletatis, aut improbativis eliciat*; quia sic gerere non est negativè se habere: & quamvis talis actus non sit semper efficacè ad reprimendos & depellendos istos motus, est tamèn efficacè ad tollendum, seu impediendum consensum voluntatis, cui formalitèr & directè opponitur. Hic actus displicentiæ potest brevissimo tempore elici, & longo virtualitèr durare, sic ut non sit opus illum toties iterare.

Posito autem semel hoc actu displicentiæ, quo periculum consensu abstergitur, si propter aliquam rationabilem causam aliquis non possit commodè resistere positivè his motibus, vel quia aliis rebus utilitèr occupatur, puta studio, vel confessionibus audiendis, vel quia timet, ne ex animo resistendi conatu magis inardescat concupiscentia, & motus exasperentur, secundùm omnes non tenentur positivè resistere. Quod si possit facile resistere, & eos motus extinguere, sed ex negligentia, otiositate, aut alio simili motivo non mortalitèr malo omittat resistere, supposito semper actu displicentiæ, peccare tantum venialitèr, mihi omninò probabile est; certum verò, si aliquam resistantiam adhibeat, etsi non omnem quam potest & debet: neque necesse est, quòd perseverantèr pertinacitèr tentatione continuò contrà nitatur, sed identèdem & per intervalla. Quòd, si adhibito rationabili conatu nihil proficiat, potest negligere & contemnere secluso semper periculo consensu per actum displicentiæ, quem convenit in diuturna pugna aliquoties renovari.

Optimus autem modus fugandi, atque vincendi hanc importunum hostem est divertere cogitationem ad alia objecta non mala, præsertim quæ maxime alliciant, & animum internum requirunt. Nec satis caplo, quid intendat recentior Theologus, cum dicit hoc remedium *Non sufficere, ut homo dicatur resistere*; cum tamèn Theologi morales, vitæ spiritualis moderatores, & SS. Patres unanimi voce illud suadeant, & inter eos singularitèr Doctor Angelicus ex Apost. his verbis: (2. 2. q. 35. a. 1. ad 2.) *Impugnatio peccati quandoquè est vincenda fugiendo; quandoquè resistendo; fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati inventum, sicut est luxuria; unde dicitur 1. Cor. 6. fugite fornicationem*. Et sanè quodam efficacis medium ad tollendum, seu impediendum effectum, quàm amovere ejus causam? causa autèm in presenti est cogitatio turpium: cum ergo tentatus cogitationem a turpibus amovet eo animo, ut tentatio cesset, optima resistentia est, nec meliorem scio.

§. III. Utrum delectatio morosa contrahat omnes malitias objecti, circa quod versatur.

Certum est 1. Quòd delectatio morosa, conjuncta voluntati, aut desiderio operis perficiendi, contrahat omnes malitias sui objecti; ut si quis delectetur de copula cum conjugata consanguinea, eamque velit, aut desideret, reus est non solum fornicationis, sed incestus & adultèrii: ratio est, quia voluntas, seu desiderium fertur in opus ut a parte rei exercendum; opus autèm exercetur cum omnibus suis circumstantiis. Certum est 2. Delectationem morosam etiàm sine voluntate operis facienda tot contrahere malitias, quot apprehendit in objecto, circa quod versatur: ut si sit de muliere ut consanguinea, ut voto adstricta, contrahit malitiam incestus & sacrilegii, si sit de persona ejusdem sexus, malitiam sodomia; si de bruto, malitiam bestialitatis, &c. quia actus humani, qualis est ipsa delectatio voluntaria, speciem habent ab objecto suo formali.

Nota. Docet Franciscus Henno in nonum præceptum Decalogi q. 1. Conclus. 4. delectationes de aspectu, tactu, osculo &c. specie inter se differre, & debere sic distinctè accensari dicendo, habui tot delectationes circa tactus, tot circa aspectus, tot circa oscula: quia, inquit, aspectus, tactus, oscula specie inter se distinguuntur, & distinctè sunt explicanda; sed tamèn fatetur, praxi Confessoriarum & Penitentium esse contrariam.

Insupèr puto ego, falsum esse ejus fundamentum, nempe tactus, oscula, aspectus specie inter se distinguuntur in genere luxurie. Cum enim non sint per se mala, ut dictum est, sed tantum ratione commotionis, aut pollutionis, aut copulae, ad quas excitant & tendunt, eandem inter se malitiam speciem habent, scilicet vel commotionis carnalis, vel pollutionis, vel copulae &c. Undè meo iudicio satisfaceret Penitens, qui diceret: toties excitavi in me, vel in alia commotionem carnalem, aut pollutionem, tacendo àn per tactus, aut aspectus, aut oscula, modò sui & complicitas conditiones explicet. A fortiori satisfaceret dicendo: toties delectatus sum carnalitèr circa tactum, vel tactem personam, non explicando àn circa tactus, aut oscula, aut aspectus; benè tamèn, si fuerit delectatio circa copulam, aut pollutionem, quia, cum hæc differant specie ab impudicitia, & distinctè sunt accusanda, ita & delectationes circa ipsa. Hanc tamèn resolutionem doctorum censura specialitèr subjicit.

Difficultas est ergo hic, utrum delectatio morosa sine desiderio operis facienda tot malitias contrahat, quot habet objectum, si ab illis præscindat, seu eas non apprehendat, quamvis aliundè noverit inesse; ut siquis delectetur de copula cum muliere, quam quidèr noverit conjugatam & consanguineam, non tamèn quatenus est conjugata, aut consanguinea, sed præcisè quatenus est mulier sibi conveniens, ut regularitèr fit: difficultas est, inquam utrum talis sit reus non solum fornicationis, aut mollicitis, sed etiàm adultèrii & incestus. Plures negant, plures affirmant, & ut iterum fatear, utriusque probabilitèr. Undè utriusque fundamenta proponam.

Sententia affirmativa proponitur.

Quidam partem affirmativam probant hac ratione, quòd non solum voluntas operis, sed etiàm delectatio simplex de opere sequatur naturam operis; quòd probant tum ex D. Th. 1. 2. q. 74. a. 8. ad 4. q. 15. de verit. a. 4. ad 8. tum ratione, quia actus est objectum delectationis; actus autèm quicumque, cum sit tendentia in objectum, sequitur naturam illius, & ab eo speciem sumit. Sed statim occurrit responsio, dicens objectum delectationis non esse actum exteriorum, prout ponitur in re, sed prout est in imaginatione præcisus a suis circumstantiis: proindeque non conferre actui plus malitiae, quàm sic præcisum continet: S. Th. verò, loqui de delectatione, quæ fertur in actum exteriorum, prout est a parte rei absquè præcisione. Idque confirmatur a simili: Carthusianus, v. gr., aut Minimus, considerans esum carniem secundùm se, & præcisum ab obligatione voti, licitè delectatur de illo, ut concedunt communitèr Auctores, quia objectum hujus delectationis non est esus carniem exterior ut in re, sed ut in cogitatione præcisus a circumstantiis legis, aut voti: ergo similitèr, qui delectatur de Moniali ut pulchra, præscindendo a circumstantia voti, est solum reus fornicationis, & non sacrilegii; quia objectum hujus delectationis non est copula ut in re, sed ut in phantasia,

sia, præcisè a circumstantia voti, & sic de cæteris.

Quare alii ad aliam probationem configunt, hanc scilicet: Delectatio de copula cum muliere representata præcisè, ut mulier est, desumit ab ea malitiam fornicationis, licèt non sit de illa sub ea formali ratione malitiae (nemo enim intendens malum operatur) sed tantum sub ratione delectabilis, quia ad peccandum formalitèr sufficit, quòd implicite, & interpretativè intendatur malitia: ergo similitèr desumit malitiam incestus, & sacrilegii, si noverit illam mulierem esse consanguineam, & Deo sacram. Confirmatur 1. Hoc ipso quo noverit has qualitates inesse, implicite saltem representantur ideoque indirectè, & interpretativè censetur de illis delectari, quatenus male vult delectari de hoc pravo opere cogitato cum muliere, quæ habet prædictas qualitates, quàm non obstante earum notitia ab hac delectatione abstinere: sicut censetur interpretativè velle malitiam operis, qui non obstante ejus notitia ab opere non vult abstinere. Confirmatur 2. Si iste præcisiones aliquid valeret in praxi, sequeretur quòd delectaretur de muliere, prout est mulier præscindendo non solum a consanguinitate, aut vinculo, sed etiàm ab hoc quòd sit non sua, talis non esset reus neque incestus, aut adultèrii, neque fornicationis; ergo nullus.

Alii tandem dicunt, id esse speciale in delectatione morosa venererum, quòd, cum excitent ardorem corporis, & materiam libidinis, tendet ex natura sua ad opus externum, cuius est principium, non minus quàm tactus, & oscula; non sic in aliis materiis. Ita Bas. Pontius l. 10. c. 16. §. 2. & Bonac. de mat. q. 4. p. 8.

Sententia negativa stabilitur.

1. Delectatio sequitur naturam sui objecti; atqui objectum ejus in actu, ut jam dixi, non est actus exterior ut in re ponendus cum omnibus suis circumstantiis, sed ut in imaginatione præcisus a suis circumstantiis: ergo, Confirmatur 1. Ideo consensus in executionem operis contrahit omnes malitias, quia in executione neutra ab altera separari potest: unde, qui vult executionem sive efficacitèr, sive inefficacitèr, consentit in omnes malitias executioni conjunctas: at hæc ratio locum non habet, quando quis consentit in meram delectationem: facile enim mens potest diversas rationes luxurie, injustitiæ, sacrilegii, in opere distinguere, & alteram sine altera sibi proponere, & circa unam sine affectu ad alteram per complicitatem versari: ergo.

2. In his, quæ sunt mala ex lege positiva, aut ex voto tantum, potest præscindi objectum a prohibitione legis, aut voti, & sic haberi delectatio licita de illis, ut patet in eo, qui die Veneris delectatur de esu carniem secundùm se; aut in Carthusiano, seu Minimo, qui vi voti abstinere tenetur à carnis: ergo etiàm in his, quæ sunt intrinsecè mala, licèt non possit abstrahi à malitia essentiali, & intrinsecè, potest tamèn abstrahi à circumstantiis accidentalitèr tantum objectum principale concomitantibus, ut in muliere à qualitate consanguinitatis, voti, &c. Nec refert, quòd hæc qualitates sint quid accessorium ad principale, non sic prohibitio, quæ est quid disparatum, ut dicit Daelman; ut enim possint præscindi, sufficit, quòd non sint de intrinsecè ratione, & essentiali objecti, non in individuo, secundùm se considerati: hæc enim ratione dumtaxat præscinditur prohibitio ab objecto.

Confirmatur 3. Qui delectatur percussione, aut vulneratione inimici in loco sacro, abstrahendo à consideratione loci sacri, peccat tantum peccato odii, & non sacrilegii; is est saltem sensus communis: & tamèn locus sacer est circumstantia objecti, & accessorium ad principale. Similitèr, qui delectatur de verbis impudicis in alium contumeliosus, præcisè ut contumeliosus sunt, non ut impudica, peccat contra justitiam, & non contra temperantiam, & tamèn impudicitia est circumstantia objecti, & accessorium ad principale: ergo paritèr, qui delectatur de copula cum muliere ut mulier est, & non ut conjugata, reus est fornicationis, & non adultèrii, licèt vinculum sit circumstantia, & accessorium ad principale.

Urgetur magis hæc ratio in actu particulari. Qui delectatur secundùm rationem de matrimonio incedendo cum affine, ut consanguineam in 3. vel 4. gradu, abstrahendo à prohibitione, non peccat: ergo, qui delectatur de copula cum muliere affine, aut consanguineam in 3. vel 4. gradu, abstrahendo à prohibitione legis positivæ, inon peccat peccato incestus, sed fornicationis tantum: porro, si possit abstrahi ab hac circumstantia affinitatis, cur non à cir-

cumstantia voti, aut vinculi?

In omne latius se veritèr Daelman, ut aliquam disparitatem hic inveniat sed meo sensu non satisfacit: quid enim facit, quòd matrimonium sit licitum, & copula fornicaria non sit licita? ex hoc quidèr sequitur, quòd in 1. casu non peccet, & in 2. peccet peccato fornicationis, sed non incestus. Quid iterum, quòd ille, qui delectatur, sit consanguineus? est enim in utroque casu. Adde, quòd, si possit præscindi consanguinitas ex parte objecti, cesset etiàm ex parte principii, quia nemo est consanguineus, nisi consanguineus. Aliud tamèn foret, si vovisset continentiam, quia obligatio voti extenditur etiàm ad actus interiores simplicis complacentiæ. Tandem recurrit laudatus Theologus ad periculum consentiendi in volitionem operis. Ego non solum agoosco periculum volendi, sed existimo regularitèr adesse volitionem. Sed hæc responsio dedit argumento, non solvit illud, aut saltem excurrit extra Thesim. Etenim juxta illam habetur, quòd delectatio qua delectatio non contrahat omnes malitias objecti (quod hæc secunda Sententia intendit), sed tantum ratione volitionis presentis aut imminenti; quòd nunc non est in questione, sed de quo statim.

Confirmatur 4. Si quis vovisset castitatem externam tantum, & non internam, posset absquè peccato sacrilegii delectari de opere venero externo, quamvis tamen istud contineret malitiam sacrilegii: ergo falsum est, delectationem sequi naturam actus exterioris, & omne ejus malitias haurire.

Negat Suppositum laudatus Theologus Lovaniensis, contenditque fieri non posse, quòd quis voveat abstinentionem à fornicatione exteriori quin suo voto simul excludat, non solum voluntatem fornicandi, sed etiàm delectationem simplicem de fornicatione; quia, inquit, in moralibus actus exteriores, & interiores sunt ejusdem moris; unde concludit, quòd ille suo voto, vel se obligavit ad actus interiores, vel ad nihil. Id quidèr verum existimo de voluntate perpetrandi actum exteriorum; qui enim se obligat ad non fornicandum, se etiàm obligat ad non volendum fornicari; sed non sic omninò de mera delectatione. Quomodo enim, cur, qui se voto adstrinxit ad abstinentionem à carnis, ut Minimus, possit absquè sacrilegio delectari de esu carniem, & qui vovit præcisè non fornicari exteriori, non possit absquè sacrilegio delectari de fornicatione? Difficile invenitur disparitas.

Propter has rationes hæc secunda Sententia mihi videtur probabilior, & in hoc utilior, quòd secundùm illam melius, & facilius intelligitur, quomodo liceat delectari de iis, quæ sola lege positiva sunt prohibita, & variis aliis. Undè, ut aliquoties satisfaciat argumentis primæ Sententiæ. Ad 1. jam responsam est. Ad 2. solutio ibidem insinuata est, idèr delectatio de fornicatione contrahit ejus malitiam formalem, licèt hæc non intendatur explicitè, quia sic non potest intendi, sed tantum implicite; nemo enim, ut dictum est, intendens malum operatur, secus qualitates delectabiles objecti. Altera solutio est, quòd malitia sit de intrinsecè ratione fornicationis, aut cujusvis transgressionis legis, à quo proinde præscindi non potest, secus qualitates accidentales objecti. Ad confirmationem: ille, de quo in argumento, ut eximatur ab omni peccato, non sufficit, quòd præscindat ab eo, quòd non sit sua, sed debet etiàm vere apprehendere, quòd sit sua; alioquin peccabit, si non peccato fornicationis, saltem impudicitia, aut molliciti.

Ad ultimum R. delectationem appetitus sensitivi non solum in materia venera, sed in quacumque alia importare commotionem spirituum, & alterationem corporalem; definit enim passio ut sic: (1. 2. q. 22. & seq.) *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni, vel mali, cum transmutatione corporali*, ut docent communitèr Theologi cum Auctore. Quapropter, si hoc non obstante delectationes in alia materia non contrahunt omnes malitias actus exterioris, ut concedunt Auctores hujus argumenti, ita nec in hac materia: idèrque dicendum ut antè, has commotiones ex natura sua tendere ad actum exteriorum, prout representantur in imaginatione, vel ad pollutionem. Neque verum est, eandem esse rationem de illis, ac de tactibus, & osculis: hæc enim versantur circa objectum ut est in re cum omnibus suis circumstantiis, istæ autèm circa ipsum ut ab illis præcisum. His tamèn non obstantibus,

Dico: Regularitèr in praxi non est recedendum à prima Sententia. Quia, qui hujusmodi delectationibus dediti sunt, regularitèr desiderant opus, à quo non abstinere, nisi vel defectu opportunitatis, vel metu infamiae, aut poenæ temporalis, vel ex alio simili motivo humano.